Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XVI.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

ut omnis anteactæ vitæ maculas, ipsemet deinde voluntarijs eluerit pœnis, et rectè factis delicta sarciret. Xaverius potius voti compos, facultate navigij nactus, revehitur Goam.

Socijs in suas provincias destinatis, ipse Japoniam adire statuit.

Cap. XVI.

Secundum hæc Goani Collegij rebus compositis, cum per id tempus novum Sociorum supplementum è Lusitania venisset, alias Societatis sedes circumspicere animo cœpit.

Sedes Societati locis plurimis parat.

Itaque Nicolaum Lancillotum in oppidum Coulanum, Alfonsum Cyprianum Meliapuram S. Thomæ, Malacam Franciscum Perez, Alfonsum Castrum in Moluccum, Melchiorem Consalvum Bazainum, Gasparem Belgam Armuzium

Armuzia

(quod oppidum inprimis nobile ac celebre est in faucibus sinus Persici) dimisit. Atque Armuzium quidem ad opprimenda nefaria scelera, quæ ibi superstitionum omnium colluvio pepererat, Xaverius ipse ire decreverat. Sed Japonica profectio vetus mutavit consilium, fecitque, ut Gasparem, quem diximus, eximiâ virtute ac sanctimonia virum, suique simillimum, in suum substitueret locum.

Neminem ferè è Societate mittebat, ubi ipse non fuisset.

Fuit hoc omnino in Xaverio, ut neminem ferè è Societate quoquam juberet ire, ubi ipse antea non fuisset. Explorabat quippe prius ipse loca, simul ut apposita locis præcepta traderet, simul ut datam Regi Lusitano fidem proferendi fines Religionis præstaret sedulò. Patres autem ad disseminandum Evangelium quoquo versus dimittens, suum cuique administrum et adjutorem è Societate addebat:

Præcepta socijs dabat

ac præter illa propria communia quædam dabat præcepta, quorum caput erat: Ante omnia ut attenderent sibi: nullámque con

ducerent

ducerent casto pióque Dei cultu & animorum suorum
salute ac perfectione potiorem. Hic praeditos bonis
non solùm tutò ac facilè aliorum saluti consultu-
ros esse, sed etiam ad res quamvis humiles et abje-
ctas (: sine quibus rei Christianae administratio
utique jacet :) alacriter libenterque descensuros.
Ita Socijs in omnes fermè Orientis regiones ad
colendas novellas Domini vineas dimissis, ipse
majora quaedam agitare animo, molirique coepit. Anger Japon
Per eos dies Anger ille Japon, quem à Xaverio baptizatur.
Goam praemissum diximus, satis jam Christianis
mysterijs eruditus, ab Episcopo baptizatus est cum
servis duobus & Collegij nomine Paulus Sanctae
fidei appellatus. Tantum apud gratos homines
loci meritique memoria valuit. Ex hoc didicit Xa-
verius (: id quod etiam ex Lusitanis è Japonia
reversis cognoverat :) Japoniae insulas numero
plurimas esse, incolarum multitudine refertis-
simas, ingeniorum bonitate praestantes, ab urbe
Goa leucas amplius M. CCC. Japones porrò
humanas divinásque res cognoscendi mirè avidos.
Quae simul comperit Xaverius, et ex Paulo alijsque
Japonibus, eius servis, Japonicorum ingeniorum
specimen sumpsit; tanta cum cupido cepit tam
docilis colendae gentis, ut sine cunctatione eò mi-
grare decreverit. Primum igitur Japones illos,
quos apud se habebat, Lusitano sermone, literisque
(: ut pro interpretibus essent :) satis excolendos curat. Comorinenses
Inde, aestate atque hyeme in domesticis negotijs intermisit Neo-
Goae exacta, oram Comorinensem atque Piscariam, phytos.
omnésque illos Christianorum greges bonus ac diligens
Pastor invisit. Ibi certior fit, Henricum unum
è socijs, subiniquo animo in proximo Travancoridis
tractu versari, quod operam ludere sibi videretur

in illis

in illis Neophytis, utpote qui, urgente novo Rege,
acerrimo nominis Christiani hoste, ad Deorũ super-
stitionem identidem revolverentur. Itaque Xave-
rius Henricum per literas paternè solatur; bonũ
habere animum iussit, memorans longè plus illũ
proficere quàm crederet. Nam si nihil aliud,
non exiguos infantum ac puerorũ greges, quos
immatura mors ad sempiternũ rapturam foret
interitum, ab ipso baptizatos utique conservari.
Ut enim adultorum pauci ad beatorũ sedes per
venirent, certè exploratam salutem esse eorum,
qui prius vitae huius usuram, quàm baptisma
lem animi candorem, amitterent. Proinde ca-
veret, ne diaboli instinctu in aliam migraret
regionem, unde minores fructus caperet animo-
rum. Ac Franciscus socijs in Domini vinea
impigrè laborantibus non modò solatia adhi
bebat ipse, verùm etiam interdum per litteras
ab ipso Ignatio adhibenda curabat, veritus, ne
alacriter perpetuis oppressa aerumnis labori suc
cumberet. Quocirca Henricum Henriquez, virũ
egregiae virtutis & exempli, in eodẽ promontorio
desudantem, valde in epistola quadã collaudatũ
commendavit Ignatio, ut eum per litteras conso
lari ne gravaretur. Comorinensibus rebus com
positis Goam revertit, Japonicam profectionem
adornaturus. Confestim igitur, ut certa Molucen
sium negotia cum Prorege transigeret, qui tum
Cambayensi bello erat implicitus, in Cambaja
regnum ire contendit. Ex itinere Bassainũ ve
nit. Oppidum id est Lusitanorum, pari ferme in-
tervallo inter Goam & Indum flumen situm.
Inde protinus in Cambajam profectus, à Prorege
benignè admodum acceptus: negotijsque feliciter con

fectis

Socios paternè consolatur.

fectis, reuertitur Goam. Ibi Antonio Gome Goani
Collegij Patribus praeposito, Pauloque Camerte Vi
cario suo constituto, semet ad Japonicam expedi
tionem celeriter comparat. Ubi Franciscum in Ja-
poniam nauigaturum fama vulgauit, confestim
nonnulli amicorum accurrunt, eum a tam pe-
riculoso consilio deterrentes, plurima ac maxi
ma tam longinquae & ignotae nauigationis /: quip-
pe cum in ultimum rerum humanarum mun
di terminum penetrandum foret :/ pericula
praeponunt. Abesse Japoniam à Goa leucas — Japonicae navigationis difficultates
amplius M. CCC. iterque illud nuper utique
patefactum, nondum satis notum esse & explo
ratum ad scopulos syrtesque vitandos. Ad
haec procellas & tempestates illius maris hor
ribiles enarrant, quibus reliqui Oceani aestus
& concitatio comparata lusus esset. Enimuero
autumni maxime tempore perflare illa maria
furiosissimum quendam ventum /: Typhonem — Typhon ventus
indigenae appellant :/ tanto impetu ac rabie,
quantas qui oculis non subjecerint, animo con
cipere non possint. Quippe quamuis ingentes
ac validas naues immensis fluctibus verbe-
ratas, laxatis compagibus labefactis dissolutisque
nullis neque prorae neque puppis munimen
tis tantum impetum sustinentibus: Fractis
insuper antennis, gubernaculis alijsque arma-
mentis abreptis, nauigia in ultimum venire
discrimen, ac saepe plus nimio exaestuante Oceano,
aut gurgitibus hauriri, aut affligi scopulis,
miserè interire. Tantopere autem venti illius
aut furiae potius nomen horreri, ut guberna
toribus ac nautis, quamuis peritis et audacibus
Japonicum iter non laboriosum magis quam for
midolosum sit, impotenti ut maris arte et con
silium

silium, superante. Praeterea multis locis syrtes
objectas esse plurimas, maximeque fallaces; ubi
naues siue locorum insolentia, siue tempestatis
impulsu, certo cum pernicie adhaerescant. Super
haec addebant, omnia ferme illa maria praedonibus
crudelissimis obsideri. Quippe non in sinu modo
Malacensi Acenos capitales Lusitanorum ho-
stes, cum magnis classibus volitare, sed in
Sinico etiam mari plures immanissimorum pi-
ratarum classes passim occurrere certissi-
mam captiuis pestem afferentes. Ibidem alias
item classes Sinarum magistratuum, praedones
illos insectantium, obuias fieri, nihilo magis
aduenarum nauigijs parcentes quam piratarum:
ut nescias utrum perniciosius sit in piratas,
an in piratarum insectatores incidere. Omnino
haud infeliciter euenire, si tertia quaeque
nauis teneat cursum. Haec et alia haud sane
uana certatim inculcantes, in maius omnia
ut fere fit, extollebant fidelissimi amico-
rum, homines prudentes et illorum locorum
haudquaquam imperiti. Caeterum Francisci ani-
mum, mortis contemptorem, Diuinaeque proui-
dentiae fiducia subnixum nihil objecta peri-
cula mouebant. Itaque illi ad extremum ma-
nantibus lacrymis orare atque etiam orare,
obtestarique coeperunt, ne certo ad discrimi-
ne capites eas sibi terras abeundas [deundas] puta-
ret, quas mortalium oculis natura subduxerit.
Tandem ex animorum satietate abstrusarum
gentium conuersioni modum faceret: salutique
parceret vel suae, vel publicae. Ad Franciscus cum
illorum fidei ac beneuolentiae grates egisset, Nihil
eorum dixit se Deo duce et comite pertimescere

Nisi

Praedonum multitudo.

Francisci oratio ad amicos Japonicum iter dissuadentes

Nisi forte crederent, quò ipsi peregrinum con-
ra monium [?], sperent, Franciscum pro Dei gloria
et animorum salute, ire non audere. Ego vero, „
(: inquit, :) tam certa habeo indicia pignoraque „
Divinæ Providentiæ, ut vel apertum ac perspicuum „
periculum timere, nefas mihi esse ducam. Quippe „
Dei benignitate immensa Oceani spatia emensus, „
Bonæque spei promontorium circumvectus, in „
Indiam, alterum orbem terrarum, incolumis ap- „
puli. Transcurrentium rabiem, Badagarum in- „
cursus, piratarum occursus effugi. Malacam inau- „
rea Chersoneso, Moluccas pene in finibus mundi „
positas perlustravi. Mauricæ regionis feram „
gentem, foedis latrociniis infamem, impune adii, „
institui, mitigavi. His divinæ providentiæ „
pignoribus documentisque, videor ne vobis aut „
Dei patrocinio diffidere, aut in amplificanda „
eiusdem gloria, cui uni me devovi, cessare pos- „
se? Et cui terrori, cuivi discrimini cedere de- „
bere? Equidem instituto meo nulla de causa decedo [?], „
ubicumque versabor, meminero me in orbis „
terræ theatro, in cælestis Regis ac superûm „
oculis versari. Neque enim cum Oceanum „
transmitterem, Indiam solum, et vicina Indiæ „
loca, sed ultima Orientis Evangelio destinabam. „
Verè dicam, pudet me nondum Christi religio- „
nem invexisse in eas regiones, unde jam Lusitani „
institores caducas exportaverint merces. Itaque, „
Deo approbante, experiar aliquando Evangelio „
terras, quas tam longè à nostro orbe natura „
submovit. In his operibus contingat (: si res ita „
ferat :) non modò pulchrum sed etiam beatum „
puto. Tum verò amici simul incredibili con- „
stantia victi, simul magnitudine animi interriti

admirantes

admirantes, incepto pariter destiterunt: faustaque
illi precati, non sine desiderio ac solicitudine
dimittunt, tanta discrimina subiturum.

Malacæ multa gerit memoria digna.

Caput 23.

Goâ discedens Xaverius Paulo Camerti olim
Collegij Rectori, quem sui muneris vicarium
tantisper constituebat, præcepta sanè salubria
consignata literis reliquit. Quorum illud caput
erat, ut Christianæ magis demissionis quàm
potestatis memor, in Patres omnes imperium
gereret paternum: cum incommodis omnibus
ac difficultatibus sedulò atque impensè sub-
veniret: deq; omnibus rebus ad Societatem
ac socios pertinentibus ad se in Japoniam
semel in anno perscriberet. Inde Xaverij
socios certatim in Japoniam eum sequi ex-
petentes ita solatus est, ut spem ostenderet, a-
ditu patefacto, omnes evocandi: Interim ipsos
in suâ mente & corde insidentes, secum itu-
ros. Rebus igitur omnibus compositis & pro-
fectione comparata, unà cum Paulo S. Fidei
Japone, Cosmo Turriano, Joanne Ferdinando,
paucisque alijs socijs, Goa solvit, Aprili
mense, anno post Christum natum M. D.
XLVIII. Vehebat Franciscum ingens rostra-
ta navis, cui præerat Jacobus Noronia. Huic
igitur cæterisque vectoribus suâ illa comitate
sibi devincire cœpit, aditum ad eorum curandos
animos parans. Quocirca spectare ludentes
latrunculis, alios verecundanter ad ludendum
hortari; multa super ludum facetè ac salsè
dicta miscere. At Noronia, qui nondum nos-
set eum familiariter, istâ comitate captus, tamē

Sanctimoniæ

Paternum imperium

Comites Japoniæ navigationis